

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0001-7

Pd. 42.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0002-2

Die 2 Decembris, Anno MDCCLXXIV.
à medio 9 usque ad medium 11.

IN AUDITORIO NOVO JURIDICO
INTRA
COLLEGIUM Ssmæ TRINITATIS.

# EXERCITIUM JURIDICUM
# TENTAMINI PRO GRADIBUS
## PRÆMITTENDUM,
## PROPOSITIS EX JURE VARIO THESIBUS,

QUAS

*PRÆSIDE ME*


**GEORGIO CHRISTOPH. NELLER,**
J. U. D. & ad Ss. Theologiæ Doctoratum admiſſo, Ss. Canonum Profeſſore ordinario, inſignis Collegiatæ ad S. Simeonem Canonico Capitulari ex ordine octo presbyterorum, Reverendiſſimi & Sereniſſimi Domini Archiep. Trevir. S. R. I. Principis Electoris Conſiliario intimo & Examinatore ſynodali &c.


DEFENDET


*NOBILIS, ORNATISSIMUS* ac *PERERUDITUS*
D. JOANNES PETRUS REUL, TREVIR,
AA. LL. & Phil. Magiſt., Juris utriusque Emeritus, S. R. I. publici, Hiſtoriarum, & Praxeos Auditor.


---


*Auguſtæ Trevirorum*, typis ESCHERMANNIANIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0003-8

OPPUGNANTES.

*Reverendi, Religioſi, ac perquàm eruditi Patres,*

DOMN. NICOLAUS GLABUS, de Lyſurâ,

DOMN. DAVID COCHEMS, Confluus,

Celeberrimi Monaſterii B. M. V. de Clauſtro in Himmerodio ſacri Ord. Ciſterc. Profeſſi, Juris utriusque Auditores.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0004-4

# ÆX JURE GENTIUM.

## TEXTUS.

FURTUM *lege naturali* prohibitum eſt admittere. §. 1. *Inſt. de oblig. q. ex delict.*, *ex l.* 1. §. 3. *ff. de furt.* Conſentit l. 42. ff. de V. S. *furtum naturâ turpe eſt.*

## *SCHOLIA.*

I. *Quâ* lege *naturali?*

℞. Eâ, quam *ratio naturalis inter omnes homines conſtituit*, quâque *omnes gentes* utuntur.

II. Sic, ut furtum *naturâ*, non *moribus duntaxat*, ſit *probrum.*

III. Sive *minutum* ſit, ſive *magnum.*

IV. Etiam in ſtatu *primævæ*, quæ dicitur, *communionis.*

V. Non ſolùm in *gravi*, ſed etiam *extremâ* neceſſitate; neque enim hæc aufert dominium, vel communionem reducit rerum.

VI. Adeò autem malum eſt, ut nec Dei permiſſione licitum fieri poſſit; non obſtante *Cap. 8. de divort.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0005-9

# EX JURE CANONICO.

## *Continuatio Tituli XXXVIII. Libri V. Decretalium.*

LII. Poſt Caſus *Metropolitano Trevir.* reſervatos utile putamus ſcholæ canonicæ fore, ſi progrediamur ad eos, qui *Comprovincialibus ejusdem Epiſcopis* reſervati exiſtunt, exemplo Moraliſtarum, qui ſuis libris variarum Diœceſium reſervationes inſeruerunt. Sunt autem *Metenſes*, qui ſequuntur, anno 1763 in ſynodali archipresbyterorum, i.é. Decanorum parochis præpoſitorum, conventu per R'mum, Illmum, & Excell'mum D. LUDOVICUM JOSEPHUM DE MONTMORENCY-LAVAL S. R. I. Principem, præſidentem, unà cum ſuccinctis notis promulgati; poſtquam intellexerat, à Confeſſariis deſiderari *novam* eorum *expoſitionem.* His noſtras charactere, quem vocant curſivo ſubjiciemus, ſive remiſſiones, ſive exegeſes.

„ *Caſus reſervati ſummo Pontifici.*

1. „ Exuſtio procurata *templorum*, aut *domorum profanarum*, ſi in-
„ cendiarius ſit *publicè denuntiatus.*

„ *Nota* 1°. Non reſervatur exuſtio, *caſu* (licet forſan *peccaminoſo*)
„ aut *jure belli* procurata.
„ *Nota* 2°. Reſervatur etiam *exuſtionis juſſio*; cùm ſit *vera* exuſtio-
„ nis *procuratio.*
„ *Nota* 3°. Incendiarius *publicè denuntiatus* ille eſt, qui *nominatim*
„ declaratus eſt excommunicatus ùt author incendii.

### *REMISSIO, & EXEGESIS.*

De hoc papali caſu repete à nobis expoſita in Exercitio 2 Decemb. 1771. §. 35 & 36, ut videas, *Metenſem* reſervationem inſtitiſſe quidem generali tenori *cap. 19 de Sent. excom.*, attamen cum reſtrictione ad *domos*; quales non cenſentur diætulæ, caſæ, tuguria, pergulæ, horrea, ſtabula, lobia. Exuſtio *ſola doloſa*, non etiam *culpoſa tantùm*, inducit hunc caſum. Jus belli *aliquando*, non *ſemper*, exuri *templa*, domosque profanas ſinit; hinc impium ſui in rebus bellicis ſecretarii ſtatûs, marchionis de *Louvois*, juſ-

ſum, an. 1688 exurendi Palatinatum cum nobiliſſimis templis cathedralibus Spiræ atque Wormatiæ, damnavit Rex chriſtianiſſimus *Ludovicus XIV*, damnabit æterna poſterorum memoria. Sanè religio templorum gentilibus etiam belliducibus inſpiravit eis parcendi conſilium. vid. *H. Grot. de J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 12. *§.* 5.

2. „ Simonia *realis* in *ordinibus* & *beneficiis*, & *confidentiæ*, ſi ſint „ *publicæ*.

„ *Nota* 1° Per *publicum* hìc intelligimus, *quod in judicio probatum*, aut *ſaltem ad forum contentioſum deductum eſt*.

*Nota* 2°. Præſens reſervatio ad mediatores extenditur per Bullam: „ *Cùm deteſtabile*.

„ *Nota* 3°. Ad *Simoniam realem* requiritur *ex una parte* ordinis colla„ tio, aut beneficii adeptio, aut ſaltem jus ad illud per præſentatio„ nem, & *ex altera* ſolutio pretii conventi, vel ſaltem partis illius.

„ *Nota* 4°. Ad *confidentiam reſervatam* requiritur & ſufficit adeptio „ beneficii, & conventio, aut de ejus retroceſſione, aut de penſio„ nis absque legitimo Superiorum conſenſu ſolutione.

## *REMISSIO, & EXPLICATIO.*

De ſimonia in *ordinibus* & *beneficiis* reſervata vide Exercit. 2. dec. 1771. § 36. n 8. Bulla: *Cùm deteſtabile* eſt *Extravag.* 2 *de Simon. int. Com.* Pauli II, quæ tam *occultis* quàm *manifeſtis* Simoniacis ſive principalibus, ſive mediatoribus, excommunicationem infligit reſervatam; quin tamen, ùt jacet, ex toto à Metenſibus Episcopis fuerit acceptata, propter reſtrictum: *ſi ſint publicæ*. In notando 3 Excellmus D. Reſervans aut ſecutus eſt multorum Theologorum & Canoniſtarum opinionem, qui ad incurrendas *Simoniæ realis* pœnas requirunt *hinc inde* factam dationem mercis & pretii *copulatim*, aut certè aliter noluit fore *caſum Papæ reſervatum*, ſi unusquisque, pactum Simoniacum *etiam pro ſuâ ſolùm parte* implens, pœnam ſeorſim contraheret juxta alios DD.

Quoad *confidentiam Simoniacam* extant in *Tomo* 2 *Bullarii Romani* conſtitutiones, pag. 128 *Romanum Pontificem* Pii IV, publicata 4 Decembr. 1564, & pag. 302 *intolerabilis multorum perverſitas* S. Pii V. 6 Aug. 1569. public.

3. „ *Occiſio* ſeu *mutilatio* membrorum cujuscunque in *ſacris ordinibus* conſtituti.

„ *Nota* 1°. Reſervatio ſupponit, occiſum aut mutilatum non fuiſſe „ *degradatum*, nec *ignotum*.

„ *Nota* 2°. In præſenti caſu *ſimplex digitus* pro *membro* ſumi non poteſt.

4. „ Percuſſio *Epiſcopi*, ſeu alterius Prælati.

„ *Nota* 1°. Simplex *Paſtor* non poteſt hìc per *Prælatum* intelligi.

„ *Nota* 2°. Prælatus percuſſus *notus eſſe* debet, nec *degradatus*.

## EXEGESIS.

Hi 3 & 4 caſus limitant generales terminos canonis Lateran. *ſiquis ſuadente*, de quo in Exercitio prædicto §. 35, reſpectivè ad occiſionem, mutilationem, & percuſſionem, non *quorumcunque* clericorum vel monachorum, ſed partim *conſtitutorum in Sacris*, partim *Prælatorum*. Hinc iterùm apparet *Epiſcoporum poteſtas*, introducendi caſus reſervatos, vel non, in ſuas diœceſes, vel etiam vigori introductorum non ſuccurrendi per inhæſivum præceptum contra deſuetudinem, etiamſi eos Papa cum generali Concilio ordinârit. *Simplicem* animarum Paſtorem non eſſe hìc *Prælatum* declaratur; quia hoc nomine venit, qui *ſaltem minorem in clero prælationem* habet, ùt ſic nuncupatæ Chriſtianitatis *Archipresbyter*, ſeu *Decanus*, & *Plebanus*, arg. *cap.* 1. *de ætat.* & *cap.* 1. *ne cler. vel monach.* in 6. Non autem *ſimplices canonici*, tametſi capitulares in cathedrali, quia nec canonicâ nec vulgari loquelâ ſunt *Prælati*, arg. *cap.* 11. *de reſcript* in 6; neque officia in choris, ſi ex ſe non tribuant præcedentiam, ùt in multis eccleſiis officia Theſaurarii, Scholaſtici, Cantoris. Inter *regulares Prælatos* indubiè venient Præpoſiti & Priores perpetuati illi, qui ſunt de monaſterio *primi*, licet fuerint tantùm *Abbates commendatarii*, aut abbatiali dignitate non fulgeant. Credimus tamen, caſum iſtum indigere psoximiore interpretatione, quàm ſit illa ſuprà data *in terminis negativæ particularis*: quid enim? an nomine *Prælati* intelligi quoque voluit *Deſinitor* alicujus Capituli ruralis, cùm non ſit *ſimplex Paſtor*? an quilibet *mendicantium* religioſorum *ad tempus* Superiores? an *nonmendicantium* Priores *clauſtrales*?

5. „ Delatio armorum ad partes infidelium.

„ *Nota*: Sola *armorum* delatio hìc reſervatur; licet aliunde *omne* „ *genus auxilii* prohibeatur.

## EXEGESIS.

Caſus *Bullæ Cœnæ* ſeptimus non reſervat *ſolam armorum*, ſed & *aliorum uſui bellico idoneorum* ad Turcas aut alios Chriſtiani nominis hoſtes *delationem*: nec non revelationem eorum; quæ ad ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ pertinent. Omne auxilium ſeu conſilium prohibent *cap.* 12 *&* 17 *de Judæis*, & *Clem.* 1. *eod.* Reflecte ùt ſuprà. Cæterum hæc reſervatio non videtur ampliùs cadere in noſtra tempora, utpote originem ſuam ducens à *bellis ſacris Cruciatarum* pridem ceſſantibus; dum intereà Chriſtiani Potentatus plurimam partem pacificè vivunt cum Turcis & aliis Mahometanis, ſi non paces, ſaltem treugas, iiscum de tempore ad tempus ineuntes & renovantes.

6. „ Falſificatio bullarum ſeu literarum ſummi Pontificis.

„ *Nota.* Ad reſervationem requiritur, ut literæ falſificatæ *nomine*
„ *ſummi Pontificis* inſcribantur.

## *EXEGESIS.*

Detrahitur ergò hic *generalitati* reſervationis ſextæ *bullæ Cœnæ*, in falſificantes literas Apoſtolicas, aut *ſupplicationes à quocunque authoritatem habente ſignatas*, aut falsò fabricantes literas Apoſtolicas. Vid. ſæpè dict. Exercit. §. 35. not. 1. *caſu quinto* reſervato in Concilio provinciali Trevirenſi de an. 1227.

## OBSERVATIONES.

„ *Circa caſus ſummo Pontifici reſervatos.*

„ I. Plures ſunt *alii caſus* reſervati *ſummo Pontifici*; ſed illorum reſer-
„ vatio in noſtrâ diœceſi *aut nunquam viguit, aut lapſu temporis*
„ *vigere deſiit.*

„ II. Omnes caſus *Papales* annexam habent *cenſuram:* cúmque *propter*
„ *illam ſolam* reſerventur, cenſurâ ſemel ſublatâ, omnis confeſſa-
„ rius poteſt ab eis abſolvere, *niſi ſint aliunde* ab Epiſcopis *reſer-*
„ *vati.*

„ III. Quicunque poteſt abſolvere à *caſibus* ſummo Pontifici *reſervatis*,
„ poteſt ſimul abſolvere à *cenſuris* hiſce caſibus annexis.

„ IV. Caſus reſervati ſummo Pontifici, *ſi ſint occulti*, facti ſunt *caſus*
„ *Epiſcopales* per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.*
„ Et hìc per *occultum* intelligimus, *quod nondum ad forum con-*
„ *tentioſum delatum eſt.* *

* Exegeſis rectior eſſe videtur, quòd Epiſcopus *vi Tridentini* poſſit *abſolvere* in foro conſcientiæ ab illis *caſibus* Papæ *reſervatis*, *qui non ſunt in publico manifeſti*, ſive delati jam fuerint ad tribunal fori, ſive nondum; neque enim exceptio, quæ de *diſpenſatione* ſuper *irregularitatibus* d cap. 6. antecedit - *exceptis aliis deductis ad forum contentioſum*, repetenda eſt in ſecundo verſiculo, ubi agitur de *abſolutione à cenſuris*, & abſolutè dicitur: *liceat Epiſcopis in quibuscunque caſibus occultis ... in foro conſcientiæ gratìs abſolvere impoſitâ pœnitentiâ ſalutari.*

„ V. Ipſimet *caſus publici*, ſummo Pontifici reſervati, habendi ſunt
„ *quaſi caſus Epiſcopales*, vi generalis conſuetudinis, reſpectu pœ-
„ nitentium, qui non poſſunt ſummum Pontificem adire, quales
„ vulgò cenſentur *pauperes*, *ſenes*, *infirmi*, *filiifamilias*, *mulieres*,
„ *monachi*. *

* Hæc conſuetudo imitatur *capp.* 11. 13. 26. 58. *de Sent. excom.*, recenſentia illos clericorum percuſſores, qui nec Domnum, nec Legatum Apoſtolicum tenentur accedere, ſed poſſunt ab Epiſcopo abſolvi. Monachis hactenùs accenſentur Clerici *in communi viventes*, e. g. Alumni Seminariorum. *Cap.* 9. *de vit. & honeſt. cler.*

## CASUS CANONICUS.

Titio viduo ſunt quatuor filii, fratres *Germani*, maternorum hæredes: *primus*, profeſſionem religioſam in ordine *Capucinorum* emiſſurus, *per viam teſtamenti* quoad ſua bona inſtituit *ſolum* quartum *fratrem* in ſæculo remanentem; *ſecundus*, ingreſſurus *Franciſcanorum* familiam per *donationem inter vivos* eidem *quarto ſoli* relinquit ſuam portionem: tertius, apud *Minoritas* profeſſurus, *ſub formâ ultimæ voluntatis* hæredes ſcribit patrem, & fratrem: ſuccedit trium eodem tempore profeſſio.

Q. 1. Cujus fratris religioſi diſpoſitio per iſtam firmatur? ℞. Solius *ſecundi*.
Q. 2. Quis ergo reliquorum bona capiet? ℞. *Primi* pater ſolus, *tertii* FF. Conventuales, ſalvo patri uſufructu.

## EX JURE CIVILI.

### *Ad Tit. XXXIV. lib. III. Cod.*

I. Celebris *l.* 2. *h. t.* ait: *Si aquam per poſſeſſionem Martialis*, eo ſciente, *duxiſti*, *ſervitutem*, exemplo rerum immobilium, *tempore* quæſiiſti. Secus foret, *ſi ante id ſpatium*, i. e. lapſum decennii, ejus uſus ducenti interdictus eſſet. Eſtne ergo *ſcientia & patientia Domini* ad acquirendam quaſi uſucapione ſervitutem *neceſſaria*. ?

℞. Neg. *Arg. l. fin. in fin. C. de præſcript. long. temp.*

2.

II. *Sufficítne* verò *ſcientia & patientia Domini* ſe ſolâ?

℞. Neg. potuiſſet enim ille hoc pati *quaſi precario*, vel *ex familiaritate viciniæ*, ſicut favetur ſæpe vicinis aqua haurienda ex puteo noſtræ domûs vel agri, ſine animo acquirendi vel contrahendi hinc inde ſervitutem, quo caſu ſervitus non conſurget. *l.* 17. *ff. Commun. præd.*

III. Requiritur ergò *quaſi-poſſeſſio* ex parte ducentis *l.* 10. *ff. ſi ſervit. vindic.* i. e. ductio aquæ per alienum fundum *pro ſuo jure*, ita, ut ducens bona fide credat, *jus ſibi eſſe aquæ ſic ducendæ l. fin. ff. Quemadmod. ſerv. amitt.*; veruntamen *neceſſe ei non eſt docere de jure*, vel titulo, *quo ſibi conſtituta ſit aqua.* d. l. 10.

IV. At, *deficiente titulo*, requiritur *vetuſtas*, l. 1. §. ult. l. 2. princ. & §. 1. ff. de aqua & aquæ. Cur ergo *d. l. 2. Cod. de ſervit. & aqu.* ſufficit *decennium* ſine *titulo* probando?

℞. Quia Martialis *ſcivit*, aquæductum *pro jure* duci â vicino, & paſſus eſt, *l.* 19. *ff. de aquâ & aquæ*,

## *Ad Tit.* XXXV.

I. Ait l. 1. *Damnum per injuriam datum, immiſſo in ſylvam igne, vel exciſâ eâ, ſi probare potes, actione legis Aquiliæ utere.* Debuitne ſylva nec *matura* eſſe, nec *cædua*? Putat hoc gloſſa, alioquin exciſorem *furti & arborum furtim cæſarum* teneri autumans, per *l.* 1 & 27 §. 25. & 26. *ff. h. t.* Nos omittimus hanc diverſitatem propter *l.* 7. §. 2. *ff. arbor. furt. cæſ.*

II. Ambages *diverſorum* judiciorum, libellorum, & actionum in cauſis ad idem factum pertinentibus eſſe vitandas, docet *l.* 2. *h. t.* ubi; *actione legis Aquiliæ* inſtitutâ, ab eodem judice conſequar id, 'propter quod aliàs *interdicto quod vi aut clam* experiri per ſe debuiſſem, nimirum ob reſtitutionem aquæ, per iniuriam aliò derivatæ, in priorem ſtatum.

III. *L. fin. h. t.* concedit Aquiliam *utilem* ei, cujus depaſtæ ſunt *per injuriam* ſegetes; quanti verò hæ æſtimabuntur?

℞. Quanti meſſis vicinorum ejuſdem metri agrorum fuerit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-405682-p0011-2

## Ad Tit. XXXVI.

I. Res, quæ in familiâ erciſcundâ non fuit diviſa *per ignorantiam*, adhuc cadit in judicium erciſcundæ. *Arg. l. 4. C. de jur. & fact. ignor.*

II. Non autem res, quæ *ex conſenſu* hæredum *relicta* fuit *indiviſa*; nam ad ejusmodi utemur judicio *communi dividundo.*

III. Atque hæc eſt genuina ſententia *l. 1. h. t. princ.* dicentis: *ſi non omnem paternam hæreditatem* ex conſenſu *diviſiſti, judicio familiæ erciſcundæ experiri potes.*

IV. Quam, ne ipſa cum *l. 20. §. 4. ff. eod.* confligat, fruſtrà de *extrajudiciali diviſione* intelligunt; cùm ſive *extra judicium* placuerit rem aliquam indiviſam manere, *communi dividundo* de hac agi debeat; quia familiæ erciscundæ, ſive judicio ſive negotio, tantùm ſemel eſt locus.

V. Ad *l. 24. h. t.*, re & famâ difficilem, rectè notavit num. 5. Iaſon, hic eſſe textum *expreſſum & inevitabilem, quòd* filius *gravatus fidei commiſſo, etiam non puro & ſtatim*, ſed *in eventum alicujus conditionis*, relicto, non detrahat *duas quartas*, *unam ratione legitimæ*, aliam *ratione trebellianicæ*, contra *communem opinionem* & Legiſtarum & Canoniſtarum, *quam totus mundus obſervat de conſuetudine.* Et num. 8. ex Paulo de Caſtro, *quòd iſta opinio de jure eſt falſa*, tamen de conſuetudine approbata eſt tenenda, ita, ut fruſtra ſit ultra diſputare.

## CASUS CIVILIS.

Eſt ſusceptor tributorum, qui *præſtituto ſibi tempore* accuratam collectarum pecuniarum rationem cum earundem repræſentatione reddit, ſed *ante terminum* partim per cambia auri in monetam argenteam, partim per mutua & interuſuria, lucratur.

Q. Cui lucretur?

℞. Ærario reipublicæ, non ſibi. *l. 1.*, quæ â Conſtantino A. prid. Non. Mart. a. 325. data eſt Treviris, C. *de his, quæ ex publicâ collatione illata ſunt, non uſurpandis*, *l. 1. & 2.* C. *de his, qui ex publ. rationib. mutuam pecuniam acceperunt.* Conſule *Laymannum* theol. moral. tom. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 19. n. 5., & cap. 29. n. 4.

EX

# EX JURE PUBLICO S. R. I.

I. Philippus *Beroaldus* ſenior, ſæc. XV & XVI. celeberrimus elegantiorum literarum Profeſſor Parmæ, Pariſiis, & Bononiæ, ubi natus eſt & defunctus, in Commentariis L. *Appuleji Afri* *MAXIMILIANUM* I. vocaverat *Imperatorem GERMANORUM*:

II. Quidam cauſarum patronus Bononienſis, dum hoc caperatâ fronte legerat, *miror*, inquiebat, *quòd Beroaldus, qui omnes omnium doctrinarum libros, & pontificias & cæſareas leges vidit, adhuc ignorat, aut certè ſe ignorare ſimulat*, Maximilianum, non *Germanorum*, ſed *Romanorum* Imperatorem nuncupari ab eruditis: *an pudet facere Beroaldum, quod non pudet Pontificem maximum, ac omnes totius Chriſtianæ Reipublicæ Principes ac Reges, à quibus ſemper* Romanorum, *non autem* Germanorum *Imperator vocatur?*

III. Significavit hoc anno 1500 idib. Febr. præceptori illi ſuo devotus quondam ſcholaris Thomas *Wolphius*, Argentinenſis, tunc juris ſtudio Bononiæ vacans, poſteà juris pontificii in ſua patria interpres, amicis literis rogans eum, ut quâ ratione ductus ſit, reſponſione in formâ arguente oſtenſibili ſibi aperiret.

IV. Reſpondit Beroaldus: *Quòd amicus tuus ſtomachari viſus eſt, propterea, quòd Imperatorem dixi* Germanorum, *non* Romanorum, *nihil eſt, quod ob id ſtomachetur; cùm ego in ſcribendo ſecutus ſim REM, non VERBA.*

V. Proſecutus eſt: *imò ut noris apertiùs mentem meam, ego cenſeo honorificentius eſſe, Imperatorem* Germanorum *dici, quàm* Romanorum; *cùm hoc ſæculo Nobilitas Romana decoxerit, fæce & quisquiliis ſuperſtitibus; Germania verò ſit viris, opibus, magnitudine florentiſſima.*

VI Et porrò: *præterea vocare* Regem Romanorum *eum, qui* Germanis *imperet, credidi convenire ambitioſis, non ſimplicibus ſcriptoribus: habeo perſuaſiſſimum, ſacratiſſimum Maximilianum non libentiùs audire, ut dicatur & ſit* Imperator Germanorum, *quàm* Rex Romanorum, *cùm alterum nomen reipſâ fulciatur, alterum titulo tenùs blandiatur.*

VII. Ultimò claudit: *Denique ſi ita mavult amicus tuus, meus, noſter, per imprudentiam incuriámque id dixi, cùm id horæ, quâ illa condebam, mens hiſtorica magis negotia quàm verba perpenderet: lapſus itaque ſum verbo, ſed eo verbo, quod haud dubiè ſit ignoſcibile. Ego Imperatorem maximè veneror; imò ùt tu quoque nôſti optimè, nullus eſt hâc tempeſtate inter celebriores profeſſores, qui Germaniam Germanósque omnes perinde laudet, amet, amplectatur, ac BEROALDUS tuus &c. Vale & illi Cauſidico tuo famigerabili me commenda.* Ex Larario literario. Extat in calce Benevenuti *de Cæſar. vitis*, per Thomam *Wolphium* A. C. MDV. editi.

VIII. Vides hìc 1.) quòd Maximilianum I. *Beroaldus* ultimò vocaverit ſine addito *Imperatorem*: ſecutus eſt *vulgarem* loquendi *modum*, quo hodieque utimur; nemo enim *Regem* appellaret glorioſiſſimè regnantem JOSEPHUM II., ſive *Germanorum* ſive *Romanorum* ſubaudiri vellet, ſed *Imperatorem*.

IX. Vides 2.) quòd caverit ſibi *Beroaldus*, ne eundem *Maximilianum* vocâſſet *Romanorum Imperatorem*, etiam poſt admonitionem cauſidici duntaxat eum appellans *Regem Romanorum*. Rectè illud, ſcribente Benevenuto de Maximiliano: *ad hunc usque annum, qui eſt MDV. à Natali Chriſti, nondum Romæ coronam accepit Imperii; dicitur tamen in Italiam hac de causâ venturus.* Ideò tunc adhuc ipſe *Maximilianus* ſeſe tantùm ſcribere ſolebat: **Maximilian von Gottes Gnaden Römiſcher König, allzeit Mehrer des Reichs.**

X. *Romanorum* verò *Imperatorem* ante annum 1508 ſe non ſcripſit *Maximilianus*, quo profectus eſt versùs Italiam cum exercitu, accepturus Romæ à *Julio* II. coronam Romanam, negantibus tranſitum Venetis, *Julio* II. bullam mittente obviam, quâ titulum *electi Imperatoris* citra ſuſceptam coronationem Maximiliano *proprio motu* firmabat. Eundem titulum ipſi tum *Julius* tum *Leo X* in actis Concilii Lateran. V. continuaverunt: Oratorum cæſareorum verò alter in ſubſcriptionibus conſtanter retinuit, alter aliquoties ſolo *Romanorum Regis* titulo

(id

(id quod eum ſtudio feciſſe credo) aliàs autem *electi Imperatoris*, uſus eſt.

XI. Lapſus itaque per incuriam fuit *Beroaldus*, dum eum jam priùs vocaverat *Imperatorem*, & quidem *Germanorum*; cùm Germania de ſe tantùm ſit *Regnum*, non *Imperium*, & propriè dicendum ſit: *ſacrum Romanum Imperium nationis Teutonicæ*. Das Heil. Römiſche Reich teutſcher Nation. Corrector cauſidicus autem magis erravit, prætendens an. 1500., *Maximilianum* jam debuiſſe vocari *Romanum Imperatorem*.

XII. Peccavit tamen *Beroaldus* reſpondendo, nomen *Regis Romanorum*, *reipsâ* non fulciri, ſed *titulo tenùs* blandiri; cùm Rex Germaniæ quâ *Romanorum Rex*, in Imperatorem promovendus, hoc ipſo *jura majeſtatis* exerceat in regno Italiæ; quanquam *Imperii* jura (ſi *advocatiam* eccleſiæ tum Romanæ particularem, tum Chriſtianæ generalem excipias) ante coronationem Papalem *in Romanos* exercere non poſſit.

XIII. Addit iſte titulus Regi Germaniæ, *licet nondum coronatione in Imperatorem promoto*, proëdriam, ante omnes Reges Chriſtianos in Aulâ Romanâ & Conciliis non-diſputatam.

XIV. Sed neque *illi* noſtro *Romanorum Regi*, qui vivente Imperatore à Germanis electus, & à Papâ agnitus fuerit, negari poteſt ſive *ex perſonâ propriâ Majeſtas*, ſive *ſeſſio ante Reges alios* actu regnantes: neque iſte princeps benè compararetur *Delphino* Franciæ.

XV. Quis autem Germanorum Imperatorum primus titulo *Romanorum Regis* uſus eſt, priusquàm Romæ coronatus eſſet? ℞. S. HENRICUS. vide *Hiſt. diplom.* Trevir. Tom. 1. pag. 353 in notis ad Breve *Benedicti* Papæ VIII, qui eum, adeò Romæ jam coronatum, adhuc appellavit *Regem Romanorum*.

## EX JURE FEUDALI.

I. In primâ parte *cap. un. tit.* 30. *lib.* 2. *feudor*. Si fœmina habens feudum *ſine maſculis*, relictâ filiâ, deceſſerit, nec adſit pactum *ſpeciale*,

ut etiam ſuccedant filiæ, an filia relicta ſuccedat, diſſenſerunt Feudiſtæ veteres: nos accedimus parti *neganti*.

II. *Ex hoc & illud deſcendit*, ait ſecunda pars textûs, *clericum nullo modo in beneficium paternum debere ſuccedere, etiamſi, poſteaquam habitum religionis aſſumſerit, poſtpoſuerit. Idem in omnibus, qui habitum religionis aſſumunt ùt converſi. Hi enim nec poſteà in feudo ſuccedunt, & quod habent, perdunt.* Quomodo ex reſolutione *primi* casûs deſcendunt *ſecundus & tertius?* ℞. Sicut in primo fœmina filiæ cavere debuiſſet *ſpeciali pacto*, ita quoque *aſſumentes* habitum religionis, & clericus & converſus, reſervatione expreſsâ *in caſum regreſſûs ad ſæculum* ſibi proſpicere de feudo vel feudi ſucceſſione.

III. Non eſt autem accipiendus iſte textus *de apoſtatis ab ordine vel religione*; neque de *abſolutis à voto*; ſed de his, qui habitum clericalem aut monaſticum *vel aſſumunt*, licet per regulas eccleſiaſticas animum mutare poſſint.

IV. An quoad hoc mutavit aliquid S. Concil. Trid. *Seſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 16.? ℞. Negat.

## EX JURE CRIMINALI.

I. Div. Hadrianus reſcripſit, eum, qui hominem *non occidit, ſed vulneravit, ut occidat*, pro homicida damnandum, hócque *ex re* conſtituendum eſſe; nam ſi gladium ſtrinxerit, & in eo percuſſerit, indubitatè occidendi animo id eum admiſiſſe. *l.* 1. §. 3. *ff. ad l. Corn. de Sicar.*

II. Huic claro *juri communi* nequaquam repugnat *Carolina Nemeſis* art. 178.

III. Et ideò conſuetudo, quæ *ſemper* omnem mortis pœnam ſub obtentu *non ſecuti effectûs*, remitteret, eſt improbanda.

## EX JURE TREVIRENSI.

I. Ordinationem Juris patrii de an. 1668 Tit. 17. art. 4. §. 12, quæ proximiorem conſanguineum, *venditioni præſentem nec contradicen-*

*dicentem*, à jure retractûs excluſit, rectiùs abrogavit Jus ſtatutarium poſterius de an. 1713. §. 23. in fin. Sonſten aber mag das bloſe Beyſeyn und Stillſchweigen denenſelben (gegenwärtigen Anverwandten) im gringſten nicht hinderlich ſeyn; nam regulæ juris 43. in 6. meritò præferri debuit arg. *l.* 8. §. 15. *Quib. mod. pign. ſolv.* & l. 39. ff. de *pignorat. act.*

II. Sed, cur ibidem retractui obeſt præſentia conſanguinei, emptionem venditionem conciliantis, aut teſtem ejus agentis, aut illi adeò ſubſcribentis, aut cognito pretio rei emptæ bibale compotantis, aut alium ejusmodi actum ibi gerentis, ex quo ejus voluntas & conſenſus prudenter inferri poſſet, ſi jus retrahendi ſibi non reſervaverit? ℞. Collato §. 15. cum d. l. 39, ſunt *juris interpretatione* conſentientes: adhæc ceſſat in hócce conſanguineo ratio juris; cùm non videatur ei triſte, rem extra familiam alienari.

III. Tutor autem, qui alienationi rei pupilli ſibi conſanguinei *authoritatem præſtitit*, per hoc à retrahando non prohibetur, non obſtante §. 21 Statutorum, ubi regula: *qui de jure communi nequit emere, is nec retrahere.*

## EX HISTORIA CHRONOLOGIÆ.

*Propoſitio.*

De tabulis chronologicis non ſic loqui oportebat, tanquam ſi *à multis jam ſæculis* confectæ eſſent. *Ita Eximius P. Profeſſor* Berg tunc *S. J. in Examine Laterculi* Jacobi Gothofredi *indictionum XXIV, edit. Colon. an.* 1773. *pag.* 56.

*Redarguitur.* I.

Ex Tomo I operum impreſſorum Ven. BEDÆ, presbyteri Anglicani ex Ordine S. Benedicti, qui obiit Sæc VIII, ubi pag. 258 usque 300 exhibentur circuli decennovales *Dionyſii* abbatis Romani, & producuntur ab an. Chr. 1. in an. 1633.

*Cyclus primus hic eſt:*

| Anni Domini. | NB. Indictiones | Epactæ. | Concurr. | Cycli Lun. | Decima quarta Luna. | Dies Dominicus Paſchæ. | Lun. ipſius diei | Litera Domin. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | 3 | 0 | 4 | 17 | Non. Apr. | 4 id. April. | 20 | e |
| 1 | 4 | 11 | 5 | 18 | 8 Kl. - | 6 Kl. - | 16 | d c |
| 2 | 5 | 22 | 6 | 19 | Id. - | 16 Kl. - | 17 | b |
| 3 | 6 | 3 | 7 | 1 | 4 Non. - | 7 id. - | 20 | a |
| 4 | 7 | 14 | 2 | 2 | 11 Kl. - | 10 Kl. - | 15 | g |
| 5 | 8 | 25 | 3 | 3 | 4 id. - | 2 id. - | 20 | f e |
| 6 | 9 | 6 | 4 | 4 | 3 Kl. - | 2 Non. - | 19 | d |
| 7 | 10 | 17 | 5 | 5 | 14 Kl. Maj. | 8 Kl. Maj. | 20 | c |
| 8 | 11 | 28 | 7 | 6 | 7 id. Apr. | 6 id. Apr. | 15 | b |
| 9 | 12 | 9 | 1 | 7 | 6 Kl. - | 2 Kl. - | 18 | a g |
| 10 | 13 | 20 | 2 | 8 | 17 Kl. Maj. | 12 Kl. Maj. | 19 | f |
| 11 | 14 | 1 | 3 | 9 | 2 Non. Apr. | Non. Apr. | 15 | e |
| 12 | 15 | 12 | 5 | 10 | 9 Kl. Apr. | 6 Kl. - | 17 | d |
| 13 | 1 | 23 | 6 | 11 | 2 id. - | 16 Kl. Maj. | 18 | c b |
| 14 | 2 | 4 | 7 | 12 | Kal. - | 6 id. Apr. | 21 | a |
| 15 | 4 | 15 | 1 | 13 | 12 Kl. - | 9 Kl. - | 17 | g |
| 16 | 5 | 26 | 3 | 14 | 5 id. - | 2 id. - | 17 | f |
| 17 | 6 | 7 | 4 | 15 | 4 Kl. - | 2 Non. - | 20 | e d |
| 18 | 7 | 18 | 5 | 16 | 15 Kl. Maj. | 8 Kl. Maj. | 21 | c |

*Nota* I. Annus Chriſti 18, junctus *indictioni* 7, finit hunc *primum* cyclum, & *ſecundus* orditur per annum Chr. 19, indictionem 8: hinc in primo cyclo advertes hoc *irregulare*, quòd ad an. Chr. 14 ponat indictionem 2, mox verò ad an. 15 indictionem 4, omiſsâ, quæ mediare deberet, indictione 3. Idipſum facit cyclus *tertius*, anno Chr. 38 ponens indictionem 13; cùm tamen cyclus *ſecundus*, deſinens in anno Chr. 37, numeràſſet modò indictionem 11: omiſſa igitur fuit 12ma. Hinc porrò venit, ut in fine *primi* cycli magni, nempè an. Chr. 530, indictionem 10, & a. 531 indictionem 11 poneret, easdem verò repeteret in principio *ſecundi* cycli magni, nempe pro an. 532 ind. 10, & pro a. 533 indictionem 11. In quo poſtremo usque huc concordant Computiſtæ noſtri, non autem quoad *primum* cyclum magnum; nam in *ſecundo* decennovali ejus ordine ponunt pro capite annum Chr. 19 cum indictione 7, in *tertio* annum 38 cum indictione 11, in *quarto* annum 57 cum indictione 15, in *quinto* annum 76 cum indictione 4, in *ſexto* annum 95 cum indictione 8, in *ſeptimo* annum 114 cum indictione 12, Dionyſio jam habente 14tam, in *octavo* annum 133 cum indictione 1, in *nono* annum 152 cùm 5, in *decimo* annum 171 cum 9, in *undecimo* annum 190 cum 13, in *duodecimo* annum 209 cum 2, in *decimo tertio* annum 228 cum 6, in *decimo quarto* annum 247 cum 10, in

*decimo*

*decimo quinto* annum 266 cum 14, in *decimo ſexto* annum 285 cum 3, in *decimo ſeptimo* annum 304 cum 7, in *decimo octavo* annum 323 cum 10, in *decimo nono* annum 342 cum 15, in *vigeſimo* annum 361 cum 4, in *vigeſimo primo* annum 380 cum 8, in *vigeſimo ſecundo* annum 399 cum 12, in *vigeſimo tertio* annum 418 cum 1, in *vigeſimo quarto* annum 437 cum 5, in *vigeſimo quinto* annum 456 cum 9, in *vigeſimo ſexto* annum 475 cum 13, in *vigeſimo ſeptimo* annum 494 cum 2; denique in *vigeſimo octavo* & primi cycli magni ultimo annum 513 cum 6, & annum 531 cum 9 indictione, ut ſic anno 532 uno filo cohæreat indictio 10, quam & Dionyſius poſuit, cum *indictione* 4 *primi cycli magni*, *quâ natus eſt Chriſtus*, & idem filum indictionis 10, quæ agmen ducit ſecundi cycli magni, producatur per alios 28 cyclos in annum 1063, quo erat indictio 1, atque hoc continuo tractu & procurſu tertius cyclus magnus inchoetur anno 1064 cum indictione 2.

Nota 2. Quoniam igitur antiqui non erant contenti *cyclo*, qui dicitur *Dionyſianus*, magno *primo*; ideò leges in *cit. Tom. & libro Ven. Bedæ pag.* 301 circulos decennovales Dionyſianos, *quales ſecundùm ordinem annorum Domini ESSE DEBUERUNT.* Referuntur autem ſoli *duo primi* circuli cycli magni primi: en horum primum, ab anno Chriſti *tertio* incipientem, dum contra Dionyſianus, ùt ſupra videre eſt, initium ſumit ab *anno* Chriſti nati *primum antecedente*, cui *indictio* 3 reſpondet.

| A. D. | Ind. | Epact. | Conc. | Cycli Lun. | Luna 14ta. | Dies Dominicus Paſchæ. | Lun. ipſius diei | Littera Domin. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3 | 6 | 0 | 1 | 17 | Non. April. | 8 id. April. | 16 | |
| 4 | 7 | 11 | 2 | 18 | 8 Kl. - | 3 Kl. - | 19 | |
| 5 | 8 | 22 | 4 | 19 | Idus - | 14 Kl. Maj. | 19 | b |
| 6 | 9 | 3 | 5 | 1 | 4 Non. - | 3 Non. Apr. | 16 | |
| 7 | 10 | 14 | 6 | 2 | 11 Kl. - | 8 Kl. - | 18 | |
